



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

De æterna Vita, ad quam pij per morte[m], Deo duce, transeunt:
Testimonia S. Scripturæ. Cap. xxiiij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

quoque cum voluptate & cantu moriamur: puritatem
vite candidi, omnibusq; mundi vanitatibus, tanquam
defluentibus aquis supernatantes, erecto in calum ani-
mo, quasi extento longius collo, in sublimia illius civitatis
atria semper intenti, atque propinqua nostra sentientes
funera, transacta in hac lachrymarum valle seminati-
one, messes facturi, ac manipulos cum exultatione colle-
cturi, leti ac gesticentes gaudio psallamus Deo in cordi-
bus nostris.

De æterna Vita, ad quam pij per mortem, Deo du-
ce, transeunt, testimonia Scripturæ sacræ.

CAPVT.
XXIII
Psalm. 30.
Psalm. 35.

DAVID Rex & Propheta. Quam magna multi-
tudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti ti-
mentibus te.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrenti
voluptatis tuæ potabis eos. Quoniã apud te est fons vite:
& in lumine tuo videbimus lumen.

Psalm. 83.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in secula se-
culorum laudabunt te.

Psalm. 117.
Esa. 35.

Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.
Esaïas Propheta. Et redempti à Domino cõuertentur,
& venient in Sion cum laude, & letitia sempiterna
super caput eorum: gaudium & letitiam obtinebunt, &
fugiet dolor & gemitus.

Esa. 49

Non esurient neque stient, & non percutiet eos aestus
& sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes a-
quarum potabit eos.

Esa. 51.

Gaudium & letitia inuenietur in Sion: gratiarum
actio & vox laudis.

Esa. 60.

Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas
& contritio in terminis tuis: & occupabit salus murum
tuos, & portas tuas laudatio.

A seculi

A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus nō vidit Deus absq; te, qua preparasti expectantibus te. Apostolus Paulus addit: Nec in cor hominis ascendit, qua preparavit Deus iis qui diligunt illum.

Esa. 64.

1. Cor. 2.

Hac dicit Dominus: Ecce ego creo Hierusalem exultationem: & populum eius gaudium. Et exultabo in Hierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in eo ultra vox fletus & vox clamoris.

Esa. 65.

Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Hierusalē consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabūt.

Esa. 66.

Ezechiel Propheta. Ecce ego ipse requiram oves meas, dicit Dominus: & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersa fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & cōgregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israēl, in rinis, & in cunctis sedibus terra. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israēl erunt pascua eorum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israēl.

Ezech. 34.

Eldra dicit Dominus: Nuncia populo meo, quoniam dabo eis regnum Hierusalem: & dabo eis tabernacula aeterna, qua preparaveram illis. Lignum vite erit illis in odore unguenti: & non laborabunt neque fatigabuntur. Ite & accipietis. Jam paratum est vobis regnum: vigilate. Et resuscitabo mortuos de locis suis, & de monumentis educam illos.

4. Eldr. 7.

Parati estote ad premia regni: quia lux perpetua lucebit vobis per aeternitatem temporis. Fugite umbram seculi huius: accipite iucunditatem gloria vestra. Incun-

Ibidem.